



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XXIV. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad überlassen den Brüdern
des Klosters Mariensee tauschweise das Wendische Dorf Rogäsen, weil sie
dasselbe zur Aufrichtung des Klosters an diesem Orte ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

XXIV. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad überlassen den Brüdern des Klosters Mariensee tauschweise das Wendische Dorf Rogäsen, weil sie dasselbe zur Aufrihtung des Klosters an diesem Orte passend fanden, am 13. Mai 1276.

In nomine Sancte et indiuidue Trinitatis, Johannes, Otto et Conradus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, uniuerfis presentem paginam visuris in perpetuum. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod ecclesie Stagno sancte Marie virginis fratribusque ibidem Deo famulantibus villam Slauicalem Rogosene, quum ibi locum congruum ad claustrum edificationem inuenerunt, cum viginti sex mansis, agris cultis et incultis et ceteris omnibus utilitatibus ex ipsa prouenientibus proprietatis titulo donatione perpetua contulimus possidendam. Et quum dicti fratres unde nobis restaurum facerent in rerum substantia non habebant, prudentum virorum consilio actum est, ut nobis triginta et duos mansos pheodales in Parsten in recompensationem dimitterent, et possessores eorundem mansorum nobis in nostris expeditionibus sicut ante fecerant deseruirent. Cetera autem bona omnia, scilicet parrochiam predictae ville, villicationem et omnem jurisdictionem, sicut illustris princeps Marchio Johannes felicis memorie pater noster eis in die defunctionis sue ob remissionem peccatorum suorum donauerat, liberaliter possidebunt. Vt igitur haec nostra donatio et heredum nostrorum et fratrum commutatio stabilis perseueret, presens scriptum conscribi iussimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Adhibitis nihilominus testibus idoneis quorum nomina sunt haec. Ex parte claustrum dominus Hermannus, Abbas de Colbaz, et dominus Henricus, Abbas dicti claustrum, et frater Robertus et frater Jacobus de Colbaz, et frater Verdeboldus, clerici. Ex parte nostra nobilis vir Comes Guntherus de Lindow, Bertramus de Bentz, Johannes Gans, noster Marscalcus, Willekinus pincerna, Henricus de Belling, Johannes de Stegelyz milites et quam plures alii fide digni. Acta sunt haec super Werbelinvm, anno domini M^o. CC^o. LXXVI^o. tertio ydus Maji, Datum per manum Notarii nostri domini Johannis de Brunnezwic.

Aus dem nach dem Original des Königl. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 418.

XXV. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad schenken dem Kloster Chorin das Dorf Briesf, am 27. Juni 1277.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis amen, Ne pre defectu memorie que prouida dispositione geruntur in tempore mater erroris ingrata surrepat obliuio, expedit gesta in tempore seu gerenda litterarum beneficio perhennari, maxime vero, que eternis spiritualiter donatione principum salubriter ordinantur. Quapropter Johannes, Otto et Conradus, dei gratia Brandenburgenses Marchiones, recognoscimus et protestamur presentibus, quod cenobio Chorin ordinis Cisterciensis et fratribus ibidem Deo famulantibus villam Brizekè cum quinquaginta mansis et tribus mansis cum antiquis suis terminis circumquaque habentibus, paludibus, stagnis, fluuiis, lacubus, riuulis, molendinis, pratis et pascuis in Mirica, agris cultis et incultis, campis ac nemoribus et ceteris utilitatibus ex ipsa prouenientibus pari modo, sicut ab antiquis quiete possedimus, cum omni iure,